tinebunt, tum quia ipsum et animi justitia semper retulerunt et gloria; quod justitiae praemium est relaturi sunt illa die. Itaque futuri sunt similes Christo ut ex omnibus una Christi veluti species atque imago resultet. Dicuntur autem ascensuri. Primum, quia resumptis corporibus in novam et gloriosam vitam resurgent; deinde quia non ut antea contemptui habebuntur, aut infimum inter homines habebunt locum, sed principem et eminentissimum inter omnes; postremo quia impiis in terra jacentibus, ipsi in altum sublati, loco sublimi, atque splendido jus dicent hominibus. Quo finito judicio sequetur id quod sequitur, quodque in hoc vaticinio ultimum est. ET ERIT DOMINO REGNUM. Nam impiis damnatis, et sempiterno carceri addictis, reliqui omnes in quibus Deus dominaturus est temporibus sempiternis sancti erunt, id est, erunt Deo subiecti, cum sua sponte, tum perfecte atque plene. Quare regnabit plene Deus in omnibus, nemine, qui ipsi repugnet aut ejus possit detractare regnum, relicto, sicuti et Paulus in priori ad Corinthios scribit, qua dicit (1). «Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors»... Et paulo infra: «Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus»... cui sit laus atque gloria per sempiterna tempora, Amen.

(1) 1 Cor. xv.

IN EPISTOLAM PAULI AD GALATAS

IN EPISTOLAM PAULI AD GALATAS

EPISTOLÆ ARGUMENTUM

Galatia Asiae minoris regio, Phrygiae a meridiana sui parte contermina est (1). Hanc olim incoluerunt Galli, ex quo dicta Galatia. Itaque Galatae a Gallis oriundi, uni ex Asianis, quorum acumen maxime praedicatur, tardiores ingenio sunt habiti. Quare Paulus eos in hac epistola insensatos appellat. Hi igitur cum Pauli suasione ab idolis ad Christum primo essent conversi, postea quorumdam Judaeorum, qui et ipsi in Christum credebant, falsa oratione inducti, sibi persuaserunt, fidem in Christum ad salutem non sufficere, sine legis Mosaycae observantia. Itaque utrumque esse necessarium, ac propterea simul conjungendum. Induxerunt autem eos in hunc errorem illi, primum Pauli auctoritatem apud ipsos elevantes, quod dicerent ipsum neque Apostolum a Christo missum esse, neque edoctum, atque institutum ab ipso fuisse, ac propterea ne dignum quidem esse, cui fides haberetur, in re tanta praesertim. Deinde affirmantes, Petrum, et Jacobum et Joannem summos Apostolos in Judaca docere, cum fide Christi

(1) Plini. lib. v. cap. ulti.

legis observantiam conjungendam omnino esse, contra atque Paulus docebat. Postremo contendentes unis Abrahami posteris salutem promissam esse. Quare nisi qui Abrahae filius sit servari neminem. Porro in Abrahami filium, qui carne non esset, eum una Mosaycae legis professione adoptari: Quamobrem necesse esse legem ut servarent omnes, qui se salvos vellent: ob id enim traditam esse a Deo ut servaretur perpetuo: ex quo ipsam repudiare, aut negligere licitum esse nemini. Quibus rebus Paulus commotus, quo Galatas ab errore tam pernicioso liberaret, hanc ad ipsos scribit epistolam. In qua eadem servat in docendo vestigia, quibus deceptores illi in decipiendo institerunt. Nam in priori ejus parte, auctoritatem suam, munusque docendi sibi a Christo commissum ab injuria magna verborum gravitate asserit: in altera vero narrat, quae Petri, atque Jacobi ea de re fuerit sententia. In tertia autem ipsam proprie causam ingressus, docet nullo modo neque necesse esse, neque omnino licere cum Christi fide legis observantiam conjungere, quod agnationem cum Abrahamo non lex faceret, sed fides: quodque lex nunquam attulisset justitiam, et tunc coruscante jam, et vigente Evangelio, certam esset allatura perniciem; quas duas res varie et multipliciter probat. Porro in quarta atque ultima ad mores instituendos pro suo Paulus more orationem convertit. Itaque scopus, et tanquam status hujus epistolae est, utrum qui in Christum credunt, legem Mosaycam et ipsi observare debeant: sitque nobis omnibus lex adjungenda Evanglio. Sed jam Paulum audiamus.

CAPUT I

I.—Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum patrem, qui suscitavit eum a mortuis: et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiae, gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam, secundum voluntatem Dei, et patris nostri, cui est gloria in saecula saeculorum, amen.

Quoniam, ut diximus, quidam impostores Pauli, a quo fuerant Galatae edocti, auctoritati, atque scientiae apud ipsos detrahebant, quo sic illos facilius in suam sententiam pertraherent: idcirco Paulus statim in hoc salutationis exordio et se et munus suum quibuscumque potest modis a contemptu vindicat: ac simul jacit quaedam veluti semina futurae disputationis. Nam etsi laudare se neminem deceat, tamen quando alicujus doctoris autoritati injuste derogatur, quo sic ejus discipuli ab eo facilius avelli possint, et in errorem induci, honeste se is laudat, quod Paulus hic necessitate constrictus facit. PAULUS APOSTOLUS. Commendat personam, et auctoritatem suam, et eo se vocat Apostolum, ut Anselmus scribit. Nam etsi Apostoli vocabulum graecum sit, quo missus aut legatus significatur, et ob id ad omnes qui legantur, aut mittuntur pertineat, tamen in sacris Litteris non solum munus legati significat, sed etiam dignitatis quamdam praerogativam conjunctam cum principe potestate, tum res fidei docendi, tum leges ad religionis atque pietatis cultum spectantes ferendi, ut ex illo liquere potest, quod ab hoc ipso Paulo ad Corinthios scri-

bitur (1): Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos: et ad Ephesios similiter (2): Ipse dedit quosdam quidem Apostolos. Quo etiam modo Christus apud Lucam (3) id nomen indidit solis duodecim, quod et postea datum fuit nonnullis aliis, ut Paulo et Barnabae, qui in Actis (4) Apostolorum vocantur Apostoli, et Jacobo Episcopo Hierosolymitano, quem in hac epistola Paulus Apostolum vocat: nam is Jacobus alius fuit a Jacobis Zebedaei, et Alphaei. Quare hic dum se Apostolum Paulus nominat, eo ipso monet Galatas, potius ut sibi fidem habeant quam iis, qui ipsos seduxerunt, utpote qui neque Apostoli essent, neque ullo modo a Deo missi.

Sed addit: NON AB HOMINIBUS NEQUE PER HOMINEM. Id Divus Thomas sic interpretatur. Non ab hominibus, id est, non a toto collegio Apostolorum, neque per hominem, id est, non ab aliquo privatim Apostolo. Nam, inquit, quidam mittebantur a toto collegio, quidam privatim ab ejus collegii aliquo, ut Paulus aliquando Lucam, et Titum misit; docet ergo Paulus, ut Divo Thomae videtur, se non missum esse ab Apostolis, neque privatim neque publice, ut qui detrahebant ipsi dicebant, sed hic nimium stricte, nam ut mihi videtur, et ut commentaria Chrysostomi et Hieronymi probant, Paulus iis vocibus latius usus est, quo se a nemine missum esse testetur. NON AB HOMINIBUS, inquit. Ab hominibus mittuntur homines, qui suae legationis habent praecipuos auctores: per hominem autem dicuntur missi qui mittuntur quidem a Deo, sed hominis alicujus ministerio, quomodo Matthias creatus est Apostolus. At Paulum neque homines fecere Apostolum, neque Deus per homines: sed ipse Deus solus illum instruxit, atque legavit. In quo duo docet: primum esse falsum, quod pseudoapostoli de ipso sparserant missum ipsum esse ab Apostolis: alterum se nonnullis Apostolis hac in parte esse

(1) I ad Cor. cap. XII. (2) Ephes. IV. (3) Luc. VI. (4) Act. XIV.

praeferendum, quod illi per homines electi sint, ut Matthias, ipse neque ab hominibus neque per homines. At qui verum sit Paulum ab hominibus non fuisse legatum, quod ipse de se testatur, cum constet ex Apostolorum (1) historia antiochenses presbyteros, misisse ipsum una cum Barnaba ad docendum gentes Evangelium, manibus capitibus eorum prius de more impositis, quod erat signum collatae potestatis? Ad hoc dici debet, antiochenses non misisse Paulum ad docendum gentes, aut ullam ejus rei potestatem illi fecisse, sed doctos ipsos ab Spiritu Sancto hoc esse Pauli munus, ad quod ipsum jam pridem legisset Deus, noluisse illum amplius detinere apud se, neque aliis negotiis atque curis implicari ipsum esse passos. Sic enim scribitur. «Ministrantibus illis Domino, et jejunantibus dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, id est, ab aliis negotiis liberos, sinite ut id obeant munus ad quod ipsos elegi. Quare neque hominum auctoritate Paulus legatus est, neque hominum ministerio usus est Deus ut illum legaret, quomodo ipse de se testatur. Quod si aliquis quaerat, si Paulus fuit Apostolus, hoc stricto, et praecipuo modo quem dicimus, quid causae fuerit, quare non ubique id sibi asciscat nomen? Pluribus enim in epistolis earum initio se Paulum tantum nominat, non item vocat Apostolum, ut in epistola ad Philippenses, et in utraque ad Thessalonicenses, et in epistola ad Hebraeos: ei respondendum est, id modestiae causa a Paulo factum. Nam id sibi non ascivit nomen in epistola ad Hebraeos, ut Hieronymus docet, ne si ascivisset in eo videri posset se aequare voluisse Christo, quem in ejus epistolae capite quarto appellaturus erat Apostolum dicens (2): «Habentes ergo principem Sacerdotum, et Apostolum nostrae confessionis Jesum». In caeteris autem ut id usurpare nollet nomen, eo adductus est, quod in earum

(1) Act. XIII. (2) Heb. IV.

epistolarum initio ad suum Pauli nomen, aliorum item nomina adjungebat, neque ex suo nomine tantum aut persona scribebat, sed etiam ex aliorum persona, quibus quoniam Apostoli non conveniebat nomen, ideo ne se quidem Apostolum nominavit, aut sibi uni tribuit, quod communiter iis, quorum ex nomine scribebantur epistolae, tribui non debebat omnibus, ne se illis praeferret. Quod si rursus objicias in utraque ad Corinthios epistola, et in epistola ad Colossenses, quas et suo et Timothei nomine scribit, etsi Timotheus ejus nominis dignitate careret se tamen Apostolum nominasse: dici profecto debet, ideo fecisse, quod apud utrosque necesse ipse fuerit dignitatem tueri suam: quod utrique a falsis seducti Doctoribus, quibus fidem habere coeperant, minus quotidiè dicto audientes ipsi erant. Et certo ubicumque id nomen sibi Paulus asciscit, necessitate astrictus asciscit. Nam praeter haec, id nomen usurpat sibi ad Romanos, et ad Ephesios, et ad Timotheum, et Titum scribens: et ad Romanos quidem, et ad Ephesios, quod illis esset ignotus (non enim ipse erudierat illos) se Apostolum nominavit, sua ut apud illos oratio pondus haberet: ad Timotheum autem, et ad Titum, quoniam eis praecepturus erat, ut constituerent Episcopos, quo constaret suae potestatis esse id et praecipere, et facere, in ipso scribendi initio se appellavit Apostolum. Quo Pauli exemplo docemur, etiam eorum quae exercemus officiorum ac munerum honorificos titulos nisi necessaria de causa usurpandos non esse. PAULUS, ergo inquit, APOSTOLUS. Quasi oblique seductores illos primo verbo perstringens, atque ita fere dicens: Apostolus, inquam, non seductor, ut apud vos falso jactatur. Ab alio missus ad docendum, non me ipse impudenter ingerens, ut faciunt nonnulli: utilitatem vestram ut Apostolus quarens: non mea privata commoda augens sub praetextu doctrinae. Apostolus inquam, ut sequitur, non ab hominibus neque per hominem. Quod si Paulus arbitratus est auctoritatem non habiturum munus suum, nisi ostendisset se neque

ab hominibus Apostolum fuisse lectum, neque per homines, quanti quaeso illi faciendi sunt, aut quid de illis sperandum, qui ipsi se neque a Deo, neque ab hominibus vocati, Ecclesiae administrationibus ingerunt? et quos videmus, ut inquit Hieronymus, redempto favore electorum in sacerdotia subrogari? de quibus Jeremias verissime (1): Non mittebam eos, et ipsi currebant: non loquebar ad eos et ipsi prophetabant.

Sed addit: SED PER DOMINUM JESUM CHRISTUM. Nam nisi qui a Christo constituitur, atque praeficitur, nemo recte praeesse potest: ex quo jure Paulus (2): «Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron». Sumit, inquit, id est, sumet, aut sumere debet, pro sermonis hebraici proprietate, cujus et in graeca novi Testamenti scriptura plura extant vestigia. Pergit: ET DEUM, PATREM, QUI SUSCITAVIT ILLUM A MORTUIS. Et hoc pertinere videtur ad suam authoritatem non tuendam modo, sed amplificandam etiam, ut Chrysostomus, Hieronymus, Anselmus, et nonnulli alii annotarunt: quod docere videatur se Apostolum constitutum a Christo a mortuis suscitato, hoc est, in vita constituto malorum experti, non autem ut caeteri Apostoli a Christo, dum apud nos agebat, et similem nobis morti ac malis obnoxiam vitam vivebat. Sed adverti aequum est, qua prudentia Paulus et quanta cautione suam temperet orationem. Nam dixerat se electum esse neque ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, in quo docuerat Christum esse Deum, ut Hieronymus intulit contra Ebronis ac Photini haeresim, Christi divinitatem negantium, sed quoniam ex eo et ex vi particulae adversativae sed, quam subiecit, colligi posse videbat non esse hominem Christum, ut Manichaei postea dixerunt, ideo adhibuit statim medicinam subjiciens: ET PER DEUM PATREM, QUI SUSCITAVIT ILLUM A MORTUIS. Nam qui a mortuis

(1) Jere. c. XXIII. (2) Heb. IV.

suscitatus dicitur, is necesse est ut verus sit homo, et ita paucis verbis testificatus est Christum esse et Deum, et hominem. Sed etiam est advertendum, cum posset Paulus alias afferre res, e quibus Christus intelligeretur esse homo, mentionem ipsum ejus resurrectionis fecisse, ut futurae disputationis semina spargeret. Nam docturus postea est ejus justitiae, qua nostri sanctificantur animi, effectorem in nobis esse, non aut Mosem ipsum, aut praescriptum Mosaicis legibus vitae degendae modum, sed unum Christum Jesum. In Christi autem a mortuis suscitatione, et ad novam vitam reditu ad justitiam praelusit Deus nostram, causamque vitae atque sanctitatis nostrae in illa ejus nova vita constituit: illo enim ad vitam de integro redeunte, omnes quicumque continebamur in illo, affecti eadem vita sumus, eam ut postea in nobismetipsis, cum ex illo nascimur, viveremus. De quo idem Paulus alibi scribit (1): «Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram». Itaque de justitia animi et sanctitate dicturus, et ab uno Christo nos eam habere docturus, suscitationis Christi, in qua non solum imago vitae animorum nostrorum inerat, sed et efficiens includebatur vis, mentionem intulit dicens: ET DEUM PATREM, QUI SUSCITAVIT ILLUM A MORTUIS.

Sequitur: ET QUI MECUM SUNT OMNES FRATRES. Et his etiam majorem fidem suis dictis conciliat, ut adnotavit Chrysostomus, quasi sic dicat: Non ego solus haec sentio et scribo, sed et omnium qui mecum sunt eadem sententia est: itaque universi haec ad vos scribimus. Recte autem et consentanee, quos fratres vocat, eos una secum esse dicit, id est, sentire idem quod ipse sentiat, et sensibus atque voluntatibus concordare cum ipso. Nam fraternitatis ratio non unius aut domus, aut nominis communione constat, sed animorum potius concordia continetur: de quo David scri-

(1) Rom. IV.

bit in psalmo (1): «Ecce quam bonum, et quam jucundum est habitare fratres in unum». Nec enim fratres aut sunt, aut dici possunt, nisi una simul habitent, id est, nisi una omnium mens sit. Sed Paulus, et qui cum Paulo sunt fratres, ad quos quaeso scribunt? ECCLESIIS, inquit, GALATIAE. Ecclesiis dixit numero multitudinis, quia non ad unius tantum civitatis fideles, sed ad omnes Galatiae regionis homines scribebat. Nam erroris, quem diximus, contagio totam illam regionem infecerat. Eos igitur primum salutat suo more.

GRATIA, inquit, VOBIS ET PAX A DEO PATRE, ET DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO. Recte censet Chrysostomus Paulum his verbis coepisse praemunire ad futuram disputationem. Nam hoc perinde est ac si diceret: Gratia vobis a Deo Patre quidem, et a Domino nostro Jesu Christo, non autem a Moyse, aut ab ejus legis observantia, ut vobis quidam nituntur persuadere. Solus inquam Deus Pater, et Christus Dominus authores gratiae sunt, quare ab eis solis peto, ut vos gratia sanctificent. GRATIA VOBIS ET PAX. Hac salutatione ideo perpetuo Paulus in suis utitur epistolis, quod nihil alteri precari possumus gratia, et pace melius: haec enim duo bona omnem vitae beatae, et causam continent et rationem: gratia causam, rationem autem pax. Praeposuit autem gratiam rectissime quo doceret, nisi a gratia oriatur, nullam esse pacem. Nam pax uberrimus est virtutis fructus: virtus autem vera sine gratia esse non potest, quare Esaias (2): «Et erit opus justitiae pax, et in psalmo» (3): «Justitia et pax se osculatae dicuntur; et de impiis dicit David» (4): Et viam pacis non cognoverunt; quod ad pacem una perveniatur virtute duce, quam ducem sequi impii nolunt. Ex quo semper fit ut homines flagitiosi, neque ipsi secum, neque cum aliis ullam habeant pacem, ut Esaias

(1) Psal. CXXXII. (2) Esa. XXXII.
(3) Psal. LXXXIV. (4) Psal. XIII.